


Johannes Assuerus Ampzing

## **Programma In Obitum Viri ... Dn. Christiani Klinckeman/ Senatoris Rostochiensis**

Rostochi[i]: Pedanus, 1626

**<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn771563965>**


Druck Freier  Zugang



Assverus, J.,  
in C. Klinckeman.

R. 1626.















*Jupl*

PROGRAMMA

In Obitum

*Viri Prudentissimi honoratissimiq;*

DN. CHRISTIANI

Klinceman /

Senatoris Rostochiensis.



ROSTOCHI

*Literis JOACHIMI PEDANI,*

---

ANNO M, DC. XXVI.





RECTOR  
ACADEMIÆ ROSTO-  
CHIENSIS

JOANNES  
ASSVERUS

Amplingus Transilulanus Med.  
D. ac Professor.



*I*llustrissimus Archidux Sa-  
xonie Fridericus, cujus me-  
moria est in benedictione, fer-  
tur aliquando audire gestisse  
judiciū Erasmi de suo Mar-  
tino. Ecquid, inquit, Eras-  
me videtur tibi de meo Mar-  
tino? qui repondit, Marti-  
nus graviter peccavit. Tum Princeps, Quid ita?  
Quia, inquit, tetigit Pontificis coronam & Mo-  
nacho-



nachorum ventres. Idem mihi accidit Superioribus diebus, in quadam Intimationum mearum, ut mingerem, quod ajunt, in Patrios cineres. Et forte citarem locum Pauli. Cor. 7. vers. 14. Nunc autem sancti sunt. Ibi evigilavit Politicus meus, (si Dijs placet) Et subordinavit hominem clamorifum, qui diceret hoc esse Calvinisticum. Cui nunc repono haec S. Scripturae loca, è quibus pro fidelium infantibus argumenta depromam cum opus erit, Genes. 17. 7. 12. Exod. 13. 2. Exod. 24. 8. Heb. 9. 19. Deut. 29. 10. Et seq. Deut. 31. 12. Jos. 8. 35. 2. Paral. 20. 13. Joel. 2. 16. Matth. 19. 13. Joan. 3. 5. 6. Act. 2. 39. Rom. 3. 4. Rom. 8. 9. Rom. 11. 17. 1. Corinth. 1. 30. 2. Cor. 5. 17. Ephes. 2. 20. Ephes. 5. 26. Addo exempla. Act. 7. 20. Hier. 1. 7. Luc. 1. 44. Et auctoritatem seu testimonium Philippi passum infantes Christianorum ab infantibus Turcarum manifeste secernentis.

Dixeram autem infantes fidelium non esse appellandos Heyden Kinderen / nec vasa diaboli, cum sint templa Spiritus S. tali gradatione, omnes qui sancti sunt: iidem habent Spiritum S. Et omnes qui Spiritum S. habent: iidem sunt templa Spiritus S. Ex qua quidem gradatione haec duo exurgunt Enthymemata. Infantes fidelium sunt sancti: ergo habent Spiritum S. Et Infantes fidelium ha-



bent Spiritum S. ergo sunt templa Spiritus S. Sed  
crassior est meus Adversarius quàm ut persentiscat  
vum Enthymematum: urgendus est syllogismis.

Sic itaq<sup>3</sup> posita Enthymemata reduco ad pri-  
mam figuram. 1. Omnes sancti habent Spiritum  
S: Omnes infantes fidelium sunt sancti: Ergo  
omnes Infantes fidelium habent Spiritum Sanctum.  
Est syllogismus figur. 1. modi 1. demonstrativus,  
causam demonstrans per effectum. Et est major  
convertibilis, ideoq<sup>3</sup> gaudet omnibus legibus propo-  
sitionis necessaria.

2. Omnes qui habent Spiritum S. sunt templa  
Spiritus S: omnes infantes fidelium habent Spi-  
ritum Sanctum: Ergo omnes infantes fidelium sunt  
templa Spiritus S. Est  $\mathcal{E}$  hic demonstrativus Ef-  
fectum demonstrans per causam. Et Major est  $\mathcal{E}$   
ipsa convertibilis, ideoq<sup>3</sup> summè necessaria.

Hinc, sicut Abraham signum accepit Circum-  
cisionis, quod obsignaret justitiam fidei, qua fuerat  
in preputio, Rom. 4. II: sic etiam concludit Aposto-  
lus Petrus, ijs qui habent Spiritum Sanctum, non  
esse negandam aquam Baptismi. Act. 10. 47.  
Id quod plenius nuper deduxi, cum contra Anaba-  
ptistas evincerem infantibus fidelium deberi Ba-  
ptismum. Hac non mea est doctrina, non Calvinii,  
sed Ecclesie priscae Catholicae  $\mathcal{E}$  orthodoxae: In his  
jam



jam hic conquiesco & desino, nec irritabo grabatos  
amplius, nisi denuò lacepsitus, & ad negotium ho-  
dierno die propositum transeo.

Dn. CHRISTIANUS Klinceman / pruden-  
tissimus hujus urbis Senator, vir antiqua virtute &  
fide fata clausit, mūdo vale dixit & ad superos com-  
migravit. Cujus exemplo discimus moriendum esse  
omnibus, & hoc peccati stipendium exsolvendum.

Natus est Anno 1558. 4. Martij, in oppido  
Schvvanensi, Parentibus honestis & CHRISTIANIS,  
qui recens natum mystico Christi corpori Ecclesiæ  
per sanctum Regenerationis lavacrum inserendum  
curarunt, & in vera Dei agnitione & timore edu-  
carunt. Scholam patriam frequentavit usq; ad an-  
num ætatis 14.

Anno 1572. 4. Augusti discenda mercatura  
ergo, & ad alijs serviendum, datis pro viatico 9. soli-  
dis Lubecensibus, an dren dutken in Daniam able-  
garunt, ubi prima fronte Helskenöbra substitit &  
Dn. prefecto Glauß Niels / per annos totos 6. fide-  
liter ministravit.

Anno 1578. 16. Decemb. à Domino suo dimis-  
sus, Marstrandum navigare (ita locum reddimus,  
qui vulgò Maerstrandt appellatur) & suo ipsius  
ductu mercari constituit, sed (eheu!) infelici itinere,  
nam & naufragium fecit, & quicquid famulando



Helkenöbra acquisiverat, perdidit, sola vita inco-  
lunitate servata, quâ ad suos Schvvanenses redijt,  
ipsis etiam tribus Dutten olim à parentibus acce-  
ptis, à tergo relictis; non quod animum desponde-  
ret, sed ut aliquantulum respiraret, & apud paren-  
tes hybernaret: spe interim suffultus melioris fortu-  
nae mox affulsura.

Anno 1579. 16. Martij rursus mare ingressus  
est, rediturus ad vocationem pristinam rursusq;  
Helschenöbram trajecit, cum aliquot Lastis (quas  
vocant) Cerevisiae & farinae, amicorum nonnullis  
conatus furvenis strenuè juvantibus. Accrescen-  
te ipsi una cum aetate ipsâ etiam paulatim fortunâ,  
Mercator evasit non è multis, sed celebris, qualem  
haec urbs eum novit inde à multis annis, cui larga  
Dei benedictio prima illa tria Dutten jugi accessio-  
ne multiplicaverat in multa millia, dum fretum in-  
ter Rostochium & Helschenöbram indejesso studio  
sulcando, navigationem suam subinde reciprocaret.  
ea in rebus omnibus usus fide, & erga omnes huma-  
nitate, ut vitæ probitate & morum integritate o-  
mnibus charus haberetur.

Adultior factus adamare cepit pudicissimam  
virginem CATHARINAM Haberstroß, GEORGII Ha-  
berstroß, hujus urbis ea tēpestate civis primarij legi-  
timam filiam, cū qua connubij pacta iniit An. 1587.

21. 211-



21. Augusti, & nuptias celebravit ejusdem anni  
5. Decemb. fuit conjugium hoc felix pacatum  
& tranquillum duravitque annos totos 35.  
usq; ad annum 1622, quo tempore quarta feriarum  
paschaliū, Deo eam ad superos advocante, in pa-  
triam cœlestem commigravit. Nec verò infœcun-  
dum fuit hoc conjugium. Suscepit enim ex ista  
thori socia liberos quatuor, unum quidem filium,  
& tres filias. Filius & duæ natu majores filia in pri-  
ma etate diem obierunt. Sola natu minima ANNA  
Klinckemans, superstes mansit, quam annis antè  
tribus pater viduus viro Juveni egregio CASPARO  
Glindt / MATTHIÆ Glinds p. m. civis hujus urbis  
dum viveret præcipui, filio nuptum dedit.

Non ad Mercaturam solum Defunctus noster  
natus fuit, sed ea in eo fuit ingenij & virtutum in-  
doles, ea prudentia & rerum gerendarum dexte-  
ritas, ea deniq; fides & morum integritas,  
quæ ad munia publica eum evocaret, imò ad  
clarum Reipub. etiam considerare iuberet. Nam  
Centum vir factus adhibitus fuit Reipub. prædijs ad-  
ministrandis, prætereaq; & Gazophylacio novo  
der neuen Kassen / annos totos undecim fideliter  
præfuit, tandem in ultima senectâ, annorum jam  
68, die D. Matthiæ proximè elapso in ordinem Se-  
natorum publico suffragio allectus & cooptatus  
fuit. quo æquidem officio vix per dimidij anni spa-  
cium



*ciams functus est, ob valetudinem minus firmam.*

*Mense Septembri agrotare cepit, & licet Medicorum opera diligenter uteretur, morbusque prima fronte nonnihil mitigatus videretur: tamen subinde recruduit. Morbi toto decursu singularem patientiam coluit, & pijs gemitibus ad Deum vitæ necisque arbitrum suspiravit, sequè ipsum crebris psalmorum dictis consolatus est, tandem cum in humanis videret nihil reliquum esse spei, assumpto viatico corporis & sanguinis dominici, horam dissolutionis sui ardentè desideravit exoptavitq̃, quæ cum adventasset Dominica prima Adventus Dominici, inter 8. & 9. vespertinam placidè expiravit, & animam suam Deo, à quo eam acceperat, reddidit.*

*Hujus viri exuvia terra mandabuntur, cras hora dimidia prima pomeridiana, in templo Mariano, rogantq̃ Defuncti hæredes, mestissima filia unica, cum genero alijsq̃ cognatis & affinibus, Rogamus idem & nos, ut cives Academici dicto tempore & loco frequentiores compareant, & exequias hæc presentia sua ornent: maxime quòd Defunctus noster dum viveret, nostri ordinis Fautor extiterit. Quisq̃ etiam sua mortalitatis memor à Deo horam fatalem beatam exoptet, tum funesto hoc tempore pro Academia, urbe hæc & Provincia vota ad Deum fundat. P. P. Rostochij 6. Decemb, Anno M. DC. XXVI.*













GUSTAV KOCH  
Buchbinderei  
ROSTOCK.







21. Augusti, & nuptias cele-  
s. Decemb. fuit conjugium  
& tranquillum iuravitque  
usq; ad annum 1622, quo tem-  
paschaliū, Deo eam ad super-  
triam caelestem commigravit.  
dum fuit hoc conjugium. S-  
thori socia. liberos quatuor, u-  
& tres filias. Filius & duanati-  
ma aetate diem obierunt. Sola  
Klinkemans, superstes man-  
tribus pater viduus viro fuven-  
Glindt / MATTHIAE Glinds p-  
dum viveret praecipui, filio nup-

Non ad Mercaturam solim-  
natus fuit, sed ea in eo fuit inge-  
doles, ea prudentia & rerum  
ritas, ea denique fides &  
gva ad munia publica eum  
clarum Reipub. etiam conside-  
Centum vir factus adhibitus fu-  
ministrandis, praetereaq; &  
der neuen Rasten / annos totos  
praefuit, tandem in ultima se-  
68, die D. Matthiae proximè e-  
natorum publico suffragio a-  
fuit. quo e quidem officio vix-

dem anni  
vacatum  
totos 35.  
feriarum  
nte, in pa-  
infecun-  
m. ex ista  
m filium,  
ilia in pri-  
na ANNA  
annis antè  
ASPARO  
ujus urbis

us noster  
tutum in  
m dexte-  
tegritas,  
imò ad  
Nam  
radijs ad-  
acio novo  
fideliter  
orum jam  
linem Se-  
cooptatus  
anni spa-  
cium

